

B. N. II. 105.  
h. 22, 14.

460/14 X-1903369

II n  
4502

# HALLARUM

Nobilis ac Liberæ  
S. ROMANI IMPERII CI-  
VITATIS

# ENCOMIUM.

In Gymnasio patrio scriptum & publice  
in Doctorum Panegyri recitatum.

JO ANNE PETRO LUDWIGIO, Phil. Stud.  
& Contubernii ibidem Inspectore.

ANNO  
M DC LXXXIIX.



Excudit Joannes Reinardus Laidigius.



Inclytæ ac Liberæ  
Imperialis SVEVO-HALLENSIS Reipublicæ  
ANTISTITIBUS Laudatissimis,

V I R I S

*Magnificis, Strenuis, Nobilissimis, Consultissimis,  
Amplissimis, Prudentissimis,*

Dño JOANNI FRIDERICO WIBE- }  
LIO, J. U. L. } Con-  
Dño JOANNI PETRO HEZELIO. } su-  
Dño JOANNI CASPARO GLOCKIO. } libus.  
Dño LAURENTIO DRECHSLERO. }  
Dño JOANNI NICOLAO SCHRAG- }  
MÜLLERO, J. U. L. } Quin-  
que-  
Viris.

Reliquisque SENATUS Interioris ASSESSO-  
RIBUS Gravissimis, Spectatissimis.

ut &

*Maxime Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo*

V I R O

Dño M. GEORGIO BERNHARDO WIBELIO,  
in Summo D. Michaëlis Templo Ecclesiastæ, Rev.  
Capituli Decano, Consistoriali & Consilii Scholar-  
charum Assessori Venerabili, Meritissimo.

*Dominis, Patronis, & Promotoribus meis  
humillime colendis,*

Exercitium hoc Juvenile  
in gratissimi animi monumentum,  
suiq; ulteriorem commendationem,

submisit D. D. D.

Johannes Petrus Ludwig



Magnifici, Nobilissimi, Maxime Reverende,  
& Amplissimi VIRI,

**V**ulgaris est, nec inepta tamen similitudo, qua Scholæ bene constituta cum hortorum amœnitatibus conferuntur. Ut enim planta varietate, raritate, bonitate, pulchritudine ac usu præstantes hortum maxime exornant; Sic & Schola discipulorum non copia magis, quam pietate, moribus, & studio celebris redditur. Cum autem hortus letissimam plantarum pulchritudinem sedulitati præprimis, labori, curæ hortulani debeat, qui omnes herbas, flores, arbores, apte, & nature cuiusque convenienter tractare, suo quoque tempore scite serere, purgare, effodere, transferre, nutrire, rigare novit; haud minus juvenus dexteritate informatur Præceptorum, qui tenella ingenia alias blandius ac verbis, alias durius ac verberibus tractant, prava corrigunt, mala eradicant, bona instillant, eaque idonea reddunt, opportuno uti tempore ad altiores Classes transferantur, donec post longam ac fidelem operam varios edere fructus, Ecclesiæ & Reipublicæ utiles ac salutares, incipiant. Magnis itaque laudibus ferendi sunt Magistratum illi, qui Scholas liberaliter instituunt primum, & institutas gratiosè fovent. Quod & Vos facitis, PATRIÆ PATRES Laudatissimi, qui liberalibus sumptibus non tantum Præceptores & Professores, in DEI gloriam, Musarumque emolumentum alitis; verum etiam bonarum artium studiosos stipendiis benigne cumulatis, ut, quemadmodum in horto planta letificata non steriles manent, sed variis fructuum generibus hortulanum, vel horti Dominum recreant, laboremque sibi tributum compensant; sic & ingenia probiora publicæ beneficentiæ imbre fecundata, uberrimos olim doctrinæ ac virtutis proferant fructus. Hanc curam & mihi præcipuam esse debere, merito agnosco, qui tot tantisque beneficiis à multo tempore publicè sum affectus, ut illis recensendis imparem me esse ultro agnoscam: tantum abest, ut pro dignitate vel laudare, vel compensare me unquam posse confidam. Sane ut reliqua, chartæ quoque angustiis prohibita,

bitus, nunc taceam, in Schola Vestra me institui, in Contubernio Vestro nutriri, & in hoc Inspectoris gerere munus, benevole dignati estis, & super hæc studiis meis promovendis subsidium nummarium gratiose promisistis. Qua spe erectus, non potui, quin præsens hocce βέχουρον, & specimen profectus mei juvenilis ad pedes Vestros humillime deponerem. HALLÆ quidem meæ longe illustrius encomiū, oratoremq; disertiozem merebantur. Sed permittetis, id quod maxime oro, ut hoc ad Vestras laudes accedat, quod etiam mediocria hominum minorum officia atq; studia non aspernamini, nec amplitudine, sed affectu, dona metiri consuevistis. Ego quidem ut pius gratusq; sim, temerarius esse cogor, & quia majus non habeo, ne officii mei negligens existimer, levidenses has pagellas offerre. Accipite has, ô PATRIÆ Fulgentissima Sidera, accipite devotissimum pectoris mei cultum, quo Vos prosequor, ac solita me complecti benevolentia non desinite. Voti summa mei est, ut & annum hunc divino munere feliciter inchoatum, feliciter transigatis, ac felicissime finiatis, & per secuturos quam plurimos omni decore, omni laude cumulati, vivatis, in decus seculi perenne, Salutem atq; gloriam Patrie summam. DEUS OPTIMUS MAXIMUS VOS diutissime servet, ornet, coronet! Sic studia mea, patris cura & sollicitudine orbatâ, VOBIS Parentibus, VOBIS Tutoribus floreant, vigeant, nec ego pro VESTRA VESTRORUMQUE Salute precari unquam cessabo

V. V. V.  
Magnif. Nobiliss. Max. Reverend.  
Ampliss. nominum

humillimus cliens

J. P. Ludwig.



בשם שמים

# ENCOMIUM HALLARUM.



Um decrevissem aliquod declaman-  
di exercitium instituere, à dulci Patria mea,  
exordiendum mihi maxime credidi, quod &  
hoc ætati meæ esset aptissimum, & beneficiis  
multis ab ea & exhibitis adhuc, & porro (ita  
me spes tenet) exhibendis convenientissimum. Jure enim  
ingrati mihi hominis notam inuri posse arbitrabar, si almæ  
matris, cui me ipsum debeo, quæ aliquot per annos me sinu  
suo fovit, bonis litteris instituit, beneficiaque alia innume-  
rabilia in me contulit, justum encomium sicco quasi silen-  
tii pede præterirem, illiusque beneficia è memoria mea si-  
nerem elabi. Sed vereor, charissima mater Halla, vereor  
dum laudare te aggredior, ne ingenii mei tenuitatem, atque  
inopiam magis sim proditurus, quam dignis te laudibus e-  
vecturus. In debitæ tamen pietatis & grati animi testimo-  
nium de laudibus tuis agere tentabo quam strictissime, pro-  
verbio illo vulgari nixus:

*Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas,  
Hac ego contentos auguror esse Deos.*

B

Seba.

Sebastianus Münsterus in opere suo Cosmographico quam sæpissime de veterum Germanorum in annotandis rebus gestis incuria ac socordia conquestus, hinc fieri ait, ut præclarissima non Germanorum tantum, facinora, sed & plerarumque urbium origines certæ & indubitata nobis lateant. Quamvis autem & nobis Hallæ nostræ strui primum coeptæ tempus sit incertum, ignorantia tamen hujus causam hodie non tam veterum negligentia, quam insigni calamitati, quæ ante aliquot secula urbem hanc, Anno nimirum 1346. misere afflixit, tribuere debemus, cum haud simus nescientes, illam sæva incendii rabie ferme universam tunc esse absumptam. A quo tempore crebrioribus, cum inundationibus, tum incendiis plurimum detrimenti accepit. Et exstant adhuc dum heu nimis lachrymosa incendii sævissimi vestigia, quod Anno 1680. vi fulminis cælo delapsi exortum, toti urbi exitium, & vastitatem videbatur minari. Eo sane domus plurimæ fati alioqui firmæ & nitidæ, turres, horrea eversa ac pessundata, officina quoque Typographica destructa est. Nec vires humanæ adversus violentiam quicquam valuissent, nisi singulari DEI commiserantis beneficio, ventus subito conversus, suppetias nobis tulisset. Etsi verò ædificia bonam partem conflato ære alieno sunt resuscitata, miserabilem tamen illam calamitatem multi cives nostri maximo suo damno hodieque deplorant, tanto justius, quanto minus rerum suarum velocitati furentis flammæ iis licuit præripere. Heu quantum præstantissimi vini, quantum selectissimi farris, filiginis, avenæ, quantum variæ supellectilis pestis illa absumpsit! In cineres redacta tunc etiam, Caupona, Solis insigni admodum celebris, quæ multis Illustribus personis hospitium sæpe præbuit, nec parvum patriæ ornamentum extitit.

Esse

Esse vero hanc unam ex vetustissimis totius Sueviæ oppidis, septem castellorum, vulgo **der sieben Bûrger Thûrn** antiquitas arguit, & ante sexcentos & longe amplius annos illam esse fundatam, haud absurde creditur. Hallæ vero appellationem à vocabulo Græco *αλς*, quod latinis *salem* notat, nemini obscurum esse puto. Fama est, fuisse his locis *falsam* & foetidam ab initio lacunam, in convalle lignosa, latronum & prædonum non parvo numero infesta, ad quam multæ feræ de *falsilagine* hausturæ se congregarint; Venatores ergo frequentes ferarum ad lacunam accessus observantes, *falsugine* degustata, *falis* crudo quidem modo excoquendi periculum fecisse, donec tandem experientia meliorem illos rationem docuerit. Hodie quidem *falis* nostri excoctio hoc ferme modo perficitur: E *salinis* profundissimis hausta aqua *falsa*, & per varios ligneos canales in *salarias* officinas distributa, in vasa capacissima è laminis ferreis confecta infunditur, iisque viginti quatuor horarum spatio, peculiari fermento, quod **das Gewôhr** appellant, & ovo gallinaceo adhibitis, beneficio ignis sic coquitur, ut incandidissimi coloris *salem* condensetur. Sed ut ad urbis primordia revertar, nuncio hujus rei proximas in regiones perlato, multos ajunt se *Nobiles* huc contulisse, ideoque brevi post, alia inter ædificia, septem castella, **die Siebenbûrger** vulgo dicta, condita, ac postea aucto ædificiorum numero pagum, qui & hodie nomen priscum **des Weilers** retinet, effectum esse, donec tandem multis domorum accessionibus in justæ magnitudinis urbem surrexerit. Sita ergo hæc urbs nostra est in ea Sueviæ parte, quæ *Franconiam* attingit, in loco uti *montoso* & *sylvofo*, ita valde opportuno, ut nec solaribus nimium æstibus subjecta, nec frigoribus nimium borealibus propinqua, sed temperatiore

sub climate sit constituta ad Cocharum amnem, qui hanc urbem mediam interfecat, & situs ejus ante inventas bombardas, ob vicinos montes, ad defensionem tantopere commodus fuit, ut circa illam nec castra locari, nec poliorceticæ machinæ opportune ordinari valerent. Forma oppidi bipenni similis est, portas habet primarias quinque, duas meridiem, totidem septentrionem, & unam orientem versus spectantes. In meditullio vero salina non aliter, quam cor in corpore humano continetur. Dividiturque urbs tres in partes sive oppida, quorum duo Cocharus determinat; tertium singulari fossa à reliquis est distinctum. Plures etiam circa urbem olim fuerunt arces, familiarum sedes nobilium prope quadraginta, vetustate majorem partem exesæ, vel manu antehac destructæ. Aedificia Hallæ quidem nostræ sunt ut plurimum humilia, lignea, luto fere & calce obducta, tegulis sive lateribus coctis tecta; vetustate tamen ipsa structuræ passim commendanda, septem in primis castella sive arces, **die Sieben-bürgen-Thürn** vetustate memorabiles. Quarum unam, templum nempe Archangelo Michaëli dicatum, Anno 1363. S. Brigitta Sueciæ Regina, hospitii loco elegisse perhibetur. Quod opus admirabile uti pulchritudine & splendore vix alii cuiquam concedit; Ita peregrinos non sine stupore à sui conspectu dimittit; cumque in colle sit exstructum, gradibus 53. conscenditur, cujus artificiosissimam structuram, claritatemque summam, si quis pro dignitate commendare velit, æque excellens orator sit oportet, atque Architectus omnibus numeris perfectus ille fuit, cujus artificii manui tam egregiam molem debemus. Pars ejus sive ædis anterior decem, posterior duodecim columnis teretibus, spectatu dignissimisque est ornata. Odeum, sive Chorus, ut vulgo appellant, admi-



admiranda arte structus, cætera totius Sueviæ, imo Germaniæ templa in certamen provocat. Hinc ad altissimum urbis clivum ascendenti occurrit granarium, quod novum ædificium, **den Neuen Bau** communiter appellamus, Nobilissimi Consulis **MOSERI**, cujus nunquam sine honoris præfatione meminisse convenit, consilio conditum, magnitudine sua, quam & loci situsque natura plurimum adauget, in morem acropoleos cujusdam insigniter totam urbem exornans, & fastigio suo supra reliquas domos emittens. Nec fori prætereundum encomium, inter duo quippe templa, alterum S. Michaëlis, de quo modo nobis actum, alterum vero à discalceatorum Monachorum ordine olim dictum, quorum utrumque turrim adjunctam habet, medii. Hæ turres sibi invicem adversæ, egregiis horologiis sunt exornatæ, quorum alterum quatuor versus plagas mundi horas indicat, & caput hominis ad singulos sonos os aperientis, claudentisque repræsentat; alterum vero crescentis, decrescantisque phases ostendit lunæ. Forum forma quadrata structum, non in venustis cingitur domibus, quas inter excellit ea, quam Magnificus Dominus Consul **WIBELIUS** inhabitat. Possem, multis etiam verbis laudare domos reliquas, nisi compendio utendum, mihi scirem. E foro descendenti per gradus lapideos occurrit Curia, ædium sive conclavium & numero & commoditate in primis commendabilis, quamvis externo splendore destituta. Aëre hic locorum libero fruimur ac puro ideoque salubri, cum pestiferæ mephites putresque exhalationes falso fumo dispellantur, ita ut pestis & alii morbi acutissime nos infestent, cui tamen malo multas urbes cætera nobilissimas obnoxias esse scimus. Et si quando repentina vis morbi incidat, sine graviore tamen infectione hinc inde

leviter vagatur. Solum habet fertile, quod omnis generis fructuum quotannis copiam edit satis largam, ut non solum civium multitudo se suosque facile tueri possit, sed nonnunquam etiam in annonæ caritate aliorum miseræ sterilitati suppetias ferre. Cujus rei Anno 1517. cum arctior annona passim incidisset, insigne documentum, vicinorum indigentia suis opibus subvenientes nostri dederunt. Pascuorum sylvestrium & pratorum irriguorum numero non destituitur, ut nulla re minus, quam pecorum & copia & bonitate, quam & membrorum decentissima proportio, & coloris pulchritudo præcipue commendat, laboremus. Agnoscit hanc DEI bonitatem grata mente civitas, & plurima beneficia in pauperes confert. Cujus rei documenta sunt leproforia, nosocomia, ptochodochia nostra, in quibus magna hominum senum, invalidorum, mutilorum, orphanorum multitudo sustentatur. In ipsa urbe Xenodochium tanto pauperum numero impletum est, ut iis alendis vix sufficiat. In quibus & duodecim Musarum alumni, alias contubernales dicti, & discipuli egeni admodum liberaliter habentur, ad id delecti, ut sacros hymnos in templis DEO decantent: quo ex seminario sæpius viri magni, & patriæ in primis utiles prodire. Sed & elemosynæ aliæ inter pauperes stans diebus distribuuntur, quas particulatim recensere nimis longum foret. Fluminis vero Cochari beneficio non solum magna lignorum vis è vicinis, Limpurgicis maxime silvis, ad excoquendum salem nobis subvehitur; sed plurima etiam delicatissimorum piscium genera ingenti multitudine producuntur, & mola occulta, cui adimi aqua non potest, beneficio Cochari agitur. Sed ut commoditas quævis sua fert incommoda secum, ita plurimum sane damni ac detrimenti cum toti urbi, tum

maxime

maxime salis coctoribus infertur, crebris ac subitis Cochari eluvionibus, quibus ligna ad salem excoquendum parata, vi fluctuum abripiuntur, officinaeque salariae vastantur, quod & hoc anno bis factum non sine dolore recordamur. Balneis gaudet variis; in primis autem ferini, ut nostrates appellant, fontis minerales aquas terra ebullientis virtus medica olim celebrabatur, ut cum multis nominis minime vulgaris thermis contendere posset. Fontes hujus urbis uti frequentes admodum; sic dulces, tamque ad bibendum quam coquendos cibos sunt aptissimi, & ingens cisterna in foro lapidea, centum culeos Hallenses capere dicitur. Porro si loci amoenitatem aestimare velis, sive hortorum respicias frequentiam, sive pratorum abundantiam contempleris, sive camporum & agrorum copiam metiaris, sive recessuum atque umbraculorum, nemorumque ac saltuum virorem consideres, per majorem anni partem singularis Dei in recreando refocillandoque homine elucescit bonitas. Ut de reliquis nunc fileam & tilietum quoque nostrum, quam speculam inferiorem prisco nomine vocitamus, locum de ambulationibus civium, accommodatissimum tacitus praeteream, vel ex hoc uno regionis nostrae veterem praestantiam liceat conjectare, quod illius pars Rosetti, des Rosen-gartens appellationem mereri antiquis visa est, quam hodieque, licet per temporum bellorumque injurias res non amplius respondeat nomini, retinet. Huic praefectus nuper datus est Vir Nobilissimus, Amplissimusque Dn. JOHANNES WILHELMUS ENGELHARDUS, Reipublicae Patriae Senator Prudentissimus, Avunculus meus Patris loco nunquam non colendus; cujus erga me merita cum longe sint plura majoraque, quam ut digno praedicare illa praecoonio valeam, hoc tamen loco praeterire non debui. Quem si  
 mihi

mihi fata Virum servabunt, (id quod calidissimis usque vo-  
 tis expeto) non video cur orbitatem meam ægrius ferre de-  
 beam. Sed ut ad incolas perveniam, civium Hallæ nostræ,  
 uti bonam partem salis coctores constituunt; sic reliqui  
 manuariis fere opificiis sunt dediti, in quibus excellit pistu-  
 ra, adeo quidem, ut candidus panis noster, apud exteros  
 quoque magnopere laudetur. Poterant eximiæ istæ dotes,  
 quibus divina bonitas civitatem nostram beavit, quasdam  
 eidem parare opes, nisi & crebriores inundationes, & fre-  
 quentiora incendia, ut dicere præcepi, easdem nobis eripe-  
 rent, & multorum incolarum abundantiam subita egestate  
 permutarent. Id quod accidit etiam superiore bello Ger-  
 manico tricennali, quod ut multis aliis splendidissimis ci-  
 vitatibus, oppidis, arcibus, vicis vel excidium vel paupertate-  
 tem attulit; ita nostræ quoque patriæ perniciosissimum fu-  
 it, eamque gravissimo ære alieno sic oppressit, ut ne largissi-  
 ma quidem pacis aureæ fecunditas tanto nos onere adhuc-  
 dum levare potuerit. Qua de causa in querelas uti  
 verissimas, sic & justissimas sæpe numero erupit  
 laudatissima Patria nostra, malorum levamen-  
 tum aliquod expetens; neque tamen voti sui  
 ante facta particeps est, quam Illustre illius Or-  
 namentum, Magnificus Dominus Consul W I-  
 BELIUS Anno 1680. in Comitibus Ratisbo-  
 nensibus, adductis argumentis gravissimis, tan-  
 dem, ut nihil frustra moliri solet, obtinuit, ut Sa-  
 cri Ordines Imperii in exigendis Collectis de  
 summa Hallensium Civitati antehac imposita  
 bonam

bonam partem detrahendam esse decreverint, id quod & Augustissimus Imperator noster LEOPOLDUS postea clementissime ratum esse voluit, jussit. Quantum hoc nomine WIBELIO suo debeant HALLÆ, grata mente agnoscunt, ore grato prædicant omnes, qui sincero Patriæ amore ducti sibi tributum existimant, quicquid in publicam utilitatem impensum est. Quod ad mores attinet, quibus apud nos vivitur, cives sunt modesti, honesti, candidi & boni. De plerisque loquor: nam quis locus in terris, quæ regio potest ostendi, ubi non mali semper sint mixti bonis? Laude in primis digni salis coctores nostri, qui perpetuo labore corporis robur acquirunt insigne, & ad omnes fortunæ truculentioris impressiones à pueris assuefiunt, illi præprimis, qui incendiorum & eluvionum periculis vel avertendis, vel reprimendis adhibentur, quos à munere suo *Feurer* cognominamus. Cæterum Cives in quinque cohortes divisi, quotannis à Militiæ Præfecto in campum jaculatorium educti, in armis lustrantur, & variis exercitiorum bellicorum generibus ad subeunda Martis casuum discrimina erudiuntur. Politicæ gubernationis forma ejusmodi Hallæ nostræ utuntur. Post Deum & Cæsarem, cives nostri pro summo Magistratu viginti quatuor Senatores agnoscunt, cui consilio duo Consules præsident, qui ob urbis in tres partes divisionem, *Stättmeister* appellantur, Consulatusque munere per vires anniversarias funguntur. Gravissimam, si alias unquam, superiore certo anno jacturam fecit

C                      Patria,

Patria, primum quidem Seniore Consiliario  
 SCHRAGMÜLLERO, postea vero utro-  
 que Consule, intra mensis fere spatium, amissis.  
 Quorum Magnus SEUFFERHELDUS Rei-  
 publicæ fasces tanta prudentia per annos com-  
 plures est moderatus, ut ad tanti nominis me-  
 moriam & cives & exteri ultrò assurgerent, &  
 omnis ætas illum ceu communem Patriæ Pa-  
 trem suspiceret, eoque incolumi incolumita-  
 tem sibi polliceretur. Tantum scilicet Heros ur-  
 bi nostræ attulerat emolumentorum, tantum  
 detrimentorum averterat, ut meritorum illius  
 magnitudinem dicendo assequi nemo valeret.  
 In quibus illustre est illud, quod ejus authorita-  
 te ac consilio Gymnasium hoc est constitutum,  
 & adhuc usque diem liberaliter conservatum.  
 Nec Summis tantum Principibus, sed Ipsi quo-  
 que Augustissimo Imperatori LEOPOLDO  
 virtus illius innotuit, & ad osculum Sacræ Dex-  
 træ ferendum admissa est. LACORNIUS  
 quoque Consul tot & tam præclara pietatis, ju-  
 stitiæ ac prudentiæ documenta nobis dederat,  
 ut eum immortalitate dignissimum universi ju-  
 dicaremus. Quibus rebus factum, ut amborum  
 obitus plurimis lacrymis adhuc dum deplore-  
 mus,

mus, nisi quod Optimorum Successorum præstantia dolorem nostrum haud mediocriter solatur. Loca morte vacua circa ferias Jacobi implentur, novis electis. Viginti autem quatuor Senatores, quorum, singuli quotannis ea dignitate se abdicare, & novam expectare electionem tenentur, excipiunt & alia judicia publica. Ex Senatoribus quibusdam constat Judicium Tutelare, *das Ober-Vormund-Gericht* / ubi res pupillorum tractantur. Ex Senatoribus quibusdam & Prætoře urbano constituitur quoque Judicium, quod delectorum vocare licet, *das Einiger-Gericht* / quod versatur circa res civiles. Hoc sequitur Nova domus, ut antiquo nomine appellatur, *das Neue Haus* / cui duo Senatores præfunt, quibus assident octo salis coctores, qui Magistri salis, *Haal-Meister* vocantur, una cum Scriba suo, occupati circa jura antiqua salis coctorum, de quibus multum differere prohibet chartulæ angustia. Quibus jungimus Xenodochianum Judicium, cui præfidet Senator, assessoribus civibus honestioribus. Huic à creditoribus civibus contumaces & tardi sistuntur ruricolæ. Magnus hic pateret campus, de Consulibus, de Quinque-Virorum, de Senatorum gravitate, prudentia, pietate, virtutibusque reliquis dicendi, nisi & adulationis suspicio, & oris infantia, & temporis brevitatis me cohiberent. Roscium hæc scena poscit. **VESTRAS Laudes, Magnifici Domini Consules, WIBELI, HEZELIQUE,** Patroni summi summoque opere colendi, tacitus melius ego venerabor, quam ut rem viribus hisce majorem aggressus turpiter sub onere deficiam. Tuam certe Suadam, Tuam Prudentiam,

dentiam, Magne W I B E L I, Maximus Cæsar  
 L E O P O L D U S bis & audivit, & clementissi-  
 me approbavit. T E dignum esse fatentur omnes,  
 qui Beatissimi Soceri SEUFFERHELDI honores &  
 titulos geras, cujus virtutes tam acurata imitati-  
 one nobis exprimis. T E vero, Gravissime HEZE-  
 LI, præter virtutes cæteras Consularibus fascibus  
 convenientissimas, Pietas & Humanitas sic  
 commendant universis, ut juxta cum W I B E L I O  
 Nostro, amor ac delictum populi Hallensis dici  
 omnino merearis. Itaque digni profecto estis,  
 quibus Nestoris ad annos, in Reipublicæ, Eccle-  
 siæ, & Gymnasii nostri salutem D E U S vitam ex-  
 tendat, quo salutari Vestro consilio controver-  
 siæ legibus æquissimis juste dirimantur, boni de-  
 fendantur, mali vero pœnis afficiantur, atque sic  
 tota civitas optime conservetur. Cumque religio  
 præcipuum sit civitatis ornamentum, Ecclesia in hac reli-  
 gionis ac doctrinæ puritate floret & viget, quam ab omni-  
 bus corruptelis in hanc usque diem illabatam conservavit,  
 idque beneficio fidelissimorum Mystarum, Virorum pieta-  
 te & doctrina Clarissimorum, qui multis ab annis gregem  
 suæ fidei concreditum, laudabiliter rexerunt: inter, quos  
 maxime elucet beatæ memoriæ BRENTIUS noster, Theolo-  
 gus non modo Germania, sed & exteris Regionibus cele-  
 berrimus. Nostra vero ætate Tu, Maxime Reverende  
 Domine Ecclesiasta & Decane W I B E L I, certe  
 Paren-



Patentis mihi loco submisit colende, & dexterime docendo, & sanctissime vivendo, tam præclare de nobis mereris, ut nemo sit, qui non mecum ex animo optet, ut de nostris Clemens Tibi Numen adaugeat annos. Quantum est, quæso, DEI beneficium, quod singulis diebus, vel sacras audire conciones, in templo non uno, vel litanias ac deprecationes publicas peragere licet? Diebus Dominicis in quinque templis homiliae sacrae e suggestu ad populum habentur, ut studiosus verbi divini auditor uno die quater in templo summo, & bis alibi oracula cœlestia audire possit, quum septem vel octo sermones in diversis ædibus unaquaque Dominica recitentur. Quibus accedunt Examina Catechetica, ad explorandos ac promovendos juventutis in articulis fidei, ac capitibus religionis Christianae percipiendis, profectus instituta. Pretiosissimum civitatis κειμήλιον, dotibus aliis multis longe præferendum creditur, & merito, Schola bene constituta, qua in re felicitatem nostram non possumus non agnoscere, qui singulari DEI benignitate Gymnasium habemus, in quo magno labore ac fide summa Latinae, Graecae, Hebraicae atque Gallicae linguae fundamenta traduntur, purissima pietatis doctrina studiosissime inculcatur, principia Philosophica dexterrime docentur, ut nihil in linguarum expositione, nihil in verae doctrinae prædicatione, nihil in principiorum Philosophicorum evolutione desiderari possit. Gaudet enim Rectore Gymnasium nostrum Dn. MELCHIORE WENGERO, VIRO, ut uno verbo completar, intel. Philologiae cultores præcipuos haud immerito recensendo. Cui annumerandus D. M. JOHANNES MICHAEL BONHÖFFER Corrector, VIR, in quo & insignis eruditio &

tio & singularis pietas de palma contendunt. Sed prohibet modestia Scholæ omnem orationis luxum, cum de laudibus ejus agendum est. Dentes vero Theoninos nec metetur nec metuit. Quo fit, ut e numerosissima discipulorum turba prodeant quotannis adolescentes virtute & ingenio ornatissimi & egregia doctrinæ copia instructi, quiq; in Academiam ablegentur, maxime idonei. Si jam ad res ab avvis nostris & nostra memoria, singulari & virtute & prudentia gestas progredi liceret, heu quam dives ad dicendū seges nobis occurreret! Verum præsens bruma me brevitatatis admonet, & vela jubet contrahere. Habetis, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, quæ de Halla nostra dicere constitui, quibus licet plurima alia ex tanta argumenti fertilitate apponi potuissent, malui tamen brevior haberi, quam Vestram audiendi patientiam frigiditate sermonis offendere, aut eruditionis inopiam meæ patefacere. Agnoscant ergo cives bonitatem hanc divinam longe maximam, DEOQUE ardentem pro eadem gratias agant, enixepetentes, ut Ipse hujus urbis Protector, Ecclesiæ TUTOR, Gymnasii DIRECTOR, & SENATUS CONSULTOR esse ad seros usque nepotes dignetur. Sic Halla nostra plurimum ornata magis atque magis indies virebit, florebit, & copiosissimos pietatis, virtutis, doctrinæ proferet fructus. Quod reliquum est, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, humanitati Vestræ, quam mihi leve artis dicendi tirocinium exhibenti, Vestra audiendi patientia declarastis adhuc, gratias ago quam possum, maximas; DEUM OPTIMUM MAXIMUM ardentissimis compellans suspiriis, ut anni hujus reliquias ex animi Vestri sententia effluere, instantemque novum Vobis auspiciatissimum jubeat illucescere.

D I X I.

Dum



**D**Um Patriæ veras percenses ordine laudes,  
 Et bonus es civis, nec malus historicus.  
 Historici partes primæ sunt, scribere vera,  
 Civisq; ornare est officium Patriam.  
 Eja age, sic Patriam semper cole, sicq; Jehovam:  
 Namq; hinc te (spero) præmia pulchra manent.

*Εὐφρονας ἐνεκα ex tempore fudit*

M. W.

**Q**uisquis pro Patria calamum vel tela cepessit,  
 Is gratam sobolem se probat atq; piam.  
 Quod, mi Ludvigi, studiorum strenue cultor  
 Dum facis, ac Hallas laude decente vehis:  
 Te bona ferta manent, merces condigna laborum,  
 Teq; bonum civem Patria leta vocat.

Præclaræ indolis optimæq; spei Adolescenti,  
 Auditori suo ut solertissimo, ita charissi-  
 mo, benevolum affectum testatur

*M. Johannes Michaël Bonhöffer,  
 Gym. Correct. & Professor.*

**L**udwigii nostri describens docta loquela  
 Hallas Suevorum præmia larga feret.  
 De quibus, ut& egregio hocce edito studio-  
 rum specimine, ex animo gratulatur  
 M. Georg Fried. Seufferheld/  
 Tertiæ Classis Præceptor.  
 LUDWI-

**L**UDWIGIUS præclaras Laudes incinit HALÆ,  
 Discupiens sic Famam pulchro extendere factō.  
 Perge, ut cœpisti, tractare fideliter artes  
 Ingenuas. Namque ex illis tibi gloria magna  
 Exurget, Nomenque tuum, Laudesque manebunt,  
 Donec durabit spatiosi machina mundi.

*Sic applaudit*

*Chartâ, ceu candida, cordis Chordâ,*

Georgius Fridericus Wibelius,  
 p.t.Pr. Cl. Gym n. Hall.

בשהקבה:

ויהי כאשר ראיתי ספר הנותן אמרי שפר  
 תהלות עיר האל אשר חברו הבחור מהולל  
 הלא שמו יוחנן פאטרוס לודוויג חזן על  
 תלמידי העניים והנה לא עצרתי כחי  
 מלספר בשיר ידידות מעט שכחיו ואשא  
 משלי ואומר:

כי הלל הללת האל עיר מולדתך:  
 אחזית באלה את רוב חכמתך:  
 ובינת לבך ומתק שפתך:  
 ועל זכ הללו כל זפ שבחתך:

*Quod calamo quidem brevi, proluxa tamen  
 mente vovent Musa Hebraica*

Johannis Ludovici Seiferheldi.

**M**onsieur ne pensez pas, que je puis par mes vers  
 Relever tant soit peu votre belle entreprise,

Ou

Ou assez et aller aux yeux de l' univers  
 Les grans dons, que chez Vous un chacun de nous prise,  
 Ces premices, Monsieur, que vous mettez au jour,  
 Tissues de mots polis & cadences remplies,  
 L'encherissent beaucoup de mes vers sur le tour  
 Avec leur ornemens, periodes accomplies ;  
 Et Vous & notre ville a tous font mieux connoitre.  
 Puis que pour un essay, faites un coup de maitre.

*Pierre Briet.*

**A**rtificem commendat opus, nec laude refulget  
 Ullus, ni studii qui documenta dedit.  
 En! Halam, LUDWIGE tuam nunc laudibus ornas,  
 Et sic Artificem Te manifestat opus.  
 Gratulor, & moneo, pergas: tibi præmia larga  
 Culta dabit Pallas, Patria culta dabit.

*Eruditionis ac virtutis nomine Commen-  
 datissimo Auctori applaudit*

Johannes Michael Seyfferhelde  
 Philos. Stud.

**D**um Patriæ eximias laudes sermone polito  
 Pandere conaris, grator, Amice, Tibi:  
 Nam Simul ingenii laudes sic pandis acuti,  
 Nec Te pro merito præmia, nulla manent.  
 Perge bonis avibus, studiis benedicat ab alto  
 Summus, sisq; Tuis, dulcis Amice, decus.

Hisce Amico & Commilitoni suo εὐνοίας  
 gratia ἀνιθεήλως gratulatur

Albertus Felix Gertner, Limp.  
 D Ede

di.

Du



**E** Depii specimen studii, charissime Petre:  
 Applaudit Musis dedita tota cohors.  
 Hinc tibi (crede mihi) surgent præconia laudum,  
 Hinc olim lætus præmia digna feres.

*Boni ominis & fausta acclamationis ergo,  
 hoc scripsit amico & commilitoni suo*

Johannes Carolus Schaiblin B. A. C.

**D** Um Patriam dignis extollis laudibus, hisce  
 Divini ingenii ostendis molimina magna,  
 Ex quibus haud tenuis TIBI surget adorea laudum.  
 LUDWIGI verbum vetus in TE congruit illud:  
 Urit maturè, quod vult urtica manere.  
 Non aliter spes est (cum jam conamina clara  
 Adsint) quàm TE olim lumenq; decusq; futurum  
 Dilectæ Patriæ. Celsi Moderator Olympi  
 Interea egregios ausus & cæpta secundet!  
 O multum gaude: contingent præmia namq;  
 Maxima, & evenient quondam TIBI tempora læta!

Gratulabundus Amico accinit

Adamus Huldricus Schafferus,  
 Spirâ Nemes, Phil. Stud.

**J** ure suo laudas Patriam, conamine docto,  
 Nam, dedit esse tibi, nam, dedit esse bene!  
 In. coepts' studiis' modò pergas' nocte dieque,  
 Sic { dulci Patriæ } commoda magna feres.  
     { dulci a Patria }

*Quo Tetrasticho gratulabundam  
 mentem exprimere voluit*

Johannes Petrus Hetzelius, B. A. C.

**P**Atriam, quam laude fideque vera  
 Evehis, fac, porro colas, amesque.  
 Hoc erit laudi. Pietatis hujus  
 Dona videbis.

*Hæc pauca gratulabundus ex debita  
 observantia addidit*

F. V. Otho, A. L. C.

---

**T**E Patriæ, Hallarum, veras laudes celebrare,  
 Est pietatis opus, quod bona larga manent.  
 Sic studiis incumbere, tuis noctesq; diesq;  
 Adjutor tibi nam præsto erit ipse Deus.

Inspectori suo amoris & hono-  
 ris ergo scripsit

Johannes Ezechiel Müller, L. A. C.

---

**J**Ova tuum ingenium collustret Flamine sancto,  
 Quo patriæ possis utilis esse tuæ.  
 Cresce, tui & generis virtutem extendere factis  
 Perge. Tibi nomen nobile sic paries.

*Gratulabundus hocce apponerere  
 voluit*

J. P. Gros, B. A. C.

---

**D**um patriam laudas, merito laudaris ab illa,  
 Atq; refers studii præmiagrata tui.

*Gratulor*

*Gratulor his paucis : Te exornet Pallas amet q̄,  
Commoda quo Patria multa parare queas.*

Sic ominatur

A. J. Wenger, Primæ Classis Discip.

**H**Allarum laudes dum scribis, tu quoque magnis  
Laudibus ornaris, gratia & usque vales.  
Hisce tuis studiis bene cœptis adsit Jova,  
Auxilioque tuum dirigat ingenium.  
Sic fiet, Patriæ ut profis, nomen voliterque  
LUDWIGIÆ gentis multa per ora virum.

*Hisce Amico suo congratulari voluit*

P. H. Gratianus, L. A. A.

**C**ommuni Patriæ fundis præconia laudum,  
Si constans pergas, præmia pulchra feres.

Ita gratulabundus accinit

Joh. Andr. Wagner, Contubernal.

**D**ass Er seines Fleisses Probe  
Zu des Vaterlandes Lobe  
Wehrter Freund / anwendet hier/  
Ist ein löbliches Beginnen/  
Und ein Zeugnis seiner Sinnen  
Dankbarer Dienst / Begier  
Zu demselben. Nun Er fahre  
Siner also fort / und spahre  
Weder Arbeit / Müh noch Fleiß:  
Es wö ihm nicht gereuen/  
Sonder, mit der Zeit gedeyen  
Auch in seinem Ehren-Preiß.

beigefügt von D. L.

F I N I S.



*B. M. Th. 105.*  
*h. 22, 14.*

HA

S. ROM


ENC

In Gymna  
in Do

JOANNE  
&



Excu



69



M.

ce

tud.

